



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hyperdvlia Mariana**

**Berchmans, Johannes  
Canisius, Jacobus**

**München, 1636**

XIX. Hyperduliæ species, Immaculatæ Marian[a]e Conceptionis  
defensionem libro scribendo suscipiendam vouere.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

*Acer est ad palma per se cursurus honores  
Si tamen instiges, fortius ibit equus.*

*Ouid. in Pont.*

§. I I.

*Premium Hyperdulia*

Fuit, quod ei bono omni, quod P. Iosephus Copponi in immaculata Conceptione Virginis defendenda concionando promouit, Berchmannus monendo communicauit, ut verè cum Iessæo vate dicere posset: *Particeps ego sum omnium timentium te.* *Psalm. 118.*

X I X.

H Y P E R D V L I Æ S P E C I E S .

**Immaculatæ Marianæ Conceptionis defensionem, libro scribendo suscipiendam vouere.**

§. I.

**Q**uæ reuerentiùs amamus, quæque sæpius vsurpamus, esse munda desiderata-

deramus; Ita diligimus, quibus quotidie  
 utimur, palatia, pocula, vestimenta, et  
 iam calceamenta, etiam viridaria, etiam  
 penuaria, etiam equilia, sed hæc omnia  
 esse munda volumus, aut talia esse cre-  
 dimus, cum nostris quoque oculis ali-  
 quid fidimus. Quod si quis fortè rebus  
 hisce nostris, quas sic amamus aliquam  
 aspergere maculam moliatur, merito  
 defensionem paramus, nosque vel re-  
 nostras maculare conantibus & impu-  
 gnantibus, repugnamus. Ita fecit Bertho-  
 mannus ille, qui passim B. Virginis filius  
 audiit, seque talem quoque nominari  
 non dubitavit. Ille ingenui indutus mo-  
 rem filij Magnam Matrem MARIANAM  
 Deiparam Virginem quoniam eximie  
 dilexit semper, ac suspexit, eandem sine  
 genitali labe conceptam credidit fuisse  
 semper immaculatam non suis tantum  
 modo oculis, id est acribus suimet in-  
 genij argumentis, sed & grauissimis  
 sanctissimorum doctissimorumque ra-  
 tionibus confusus. Excellentissima

nem.

nempe de immaculatâ (verba Ceparij sunt) de B. Mariæ Virginis Conceptione habebat opinionem, neque humilius de ea loquebatur, quàm sentiebat.

*Cepar. & Hug. pag. 161.*

Porro veritus ne fortè (vt est homo singulas in horas harùmque momenta mutabilis, & amata relinquere pernix, cum teste Iobo c. 14. nunquam in eodem statu permaneat) veritus inquam, ne forte pijsissima hæc de Mariana Conceptione sententia in animo suo variaret, nutaret, aut mutaret, voluntario æternoque per religionem voto sese deuinxit, obstrinxitq; sacramento, si quos aliquando libros esset editurus primum ingenij sui partum fore de immaculata B. MARIAE Virginis Conceptione; dicebatque se libri dispositionem iam animo concepisse quam tenère decreuerat; adeoque huc omnia conferebat quæcunque huius argumenti apud antiquos Patres scriptoresque alios legendo comperisset.

Extremo vitæ anno conceptâ signâ  
 tâque veluti quadam auctoramenti for-  
 mulâ Beatissimæ Virgini coram Augu-  
 stissima Eucharistiâ sese in hæc verba  
 obligauit : Ego Ioannes Berchmannus  
 indignissimus Societatis IESU filius, tibi  
 filiôque tuo, quem hîc præsentem in  
 Eucharistia veneror, polliceor me per-  
 petuum fore assertorem, vindicemque  
 Immaculatæ Conceptionis tuæ nisi di-  
 uersè fuerit ab Ecclesia definitum.

Ioannes Berchmannus.

Porro quamuis huic voto suo facere  
 satis, morte præuentus, nequirit, nihil  
 tamen peccauit, etsi scriptum sit: Vo-  
 uete & reddite Domino DEO vestra.  
 Nam vel ipso pagano Tullio suffragan-  
 te: Voluntatem rebus in omnibus spe-  
 ctari conuenit; quæ consulto facta non  
 sunt, in eis fraudem esse non oportet.  
 Imò maximam apud DEVM Deiparam  
 que virginem vel solo suo voto deside-  
 rioque meruit, & haud dubiè impetra-  
 uit. Hinc & ab Angelis cæleste Christi

recens nato genethliacum concinenti-  
bus, pax (quã nihil melius amicis He-  
bræi norant precari) hominibus bonæ  
voluntatis promissa. Apud mortalem  
Iudicem sæpe facta voluntas æstimatur;  
at apud immortalem cæli Prætorem,  
cordis & oris arbitrum, opus quamuis  
grande, munus quamuis eximium, præ  
bona voluntate vilet. Pia voluntas om-  
nium actuum piorum forma, norma, re-  
ctissimãque amussis est. Ideo & paganus  
canere Propertius ausus :

*Quod si deficiant Sires, audacia certè  
Laus erit, in magnis & soluisse sat est.*

Et Naso. Eleg. 4. Pont. 3. libri.

*Ut desint Sires tamè est laudanda solutus.*

*Hac ego contentos auguror esse Deos.*

*Hec facit, ut Veniat pauper quoque gra-  
tus ad aras,*

*Et placeat calo non minus agna boue.*

Et 4. Pont. 1.

*Et qui quam potuit dat maxima, gratis  
abunde est,*

*Et finem pietas contigit illa suum.*

K 2

Nes

*Nec quæ de parvâ pauper Dÿs libat acerrâ  
Thura, minus grandi quam data lan-  
ce, valent.*

*Agnâq; tam lactens, quàm gramine passa  
Phalisco*

*Victima, Tarpeios inficit iccta focos.*

Et Iacobus Billius Poëta Christianus:  
*Antholog. Sacr.*

*Non semper Verè est felix impleta Voluntas  
Cum sæpe iniustus sint mala Vota animi*

*Recta igitur cupiens etiam si nō sit adeptus*

*Persistendo tamen Velle bonū, bonus est.*

*At prauus quod fert animo si non habet  
actū, (tineat,*

*Tam miser est, quàm si, quod cupit, ob-*

*Ind; suos fines procedit quæque Voluntas,*

*Nec varijs meritis arbiter æquus abest*

*Corda regens, Vires tribuens, peccata re-  
mittens,*

*Mitis subiectis, implacidus tumidis.*

Itaque bona voluntas, quæ redigi  
nequit in actum, totius operis, quod  
destinabat habet meritum. Nam: quid  
quid vis, & non potes, factum Deus

com-

computat, inquit Magnus Augustinus  
 Quia ( ut idem loquitur alibi, huius sui  
 dicti rationem reddens ) DEVS conquæ-  
 rit, cor inspicit intus, testis est, iudex,  
 approbator, adiutor, coronator; suffi-  
 cit ut offeras voluntatem. Corde lau-  
 das, corde benedicis, corde in ara con-  
 scientiæ victimas sacras imponis, & re-  
 spondetur tibi: Pax in terrâ hominibus  
 bonæ voluntatis.

Denique:

*Si scelus intra se tacitum qui cogitat Gl-*  
*Facti crimen habet; (lum*

Quanto magis:

*Virtutem intra se tacitam qui concipit Gl-*  
*Facti premium habebit? (tam*

Dubio procul omni Berchmannus  
 piæ voluntatis suæ præmio non est fru-  
 stratus; multo minus voti non impleti  
 maculam contraxit. Fuit enim condi-  
 tionatum; quia Berchmannus DEO Dei-  
 paræque vouerat, se librum pro Maria-  
 næ Conceptionis immaculatæ defen-  
 sione scripturum, si tamen aliquando

libros aliquos esset editurus, & quidem tunc illud opus Mariale primum futurum. Sed enim nullos libros, morte occupatus, scripsit, eoque Deipara voluntatem pro libro computavit, & non impleta conditione votum non obligavit. Itaque ubi non est obligatio, ac debiti præstandi, non agnoscitur peccatum debiti non exoluti.

## §. I I.

*Premium Hyperdulie*

Verum enimvero cum Berchmannus non habeat vllum voti conditionati impleri peccatum, reliquum est ut dicamus an aliquid acceperit huius Hyperdulie suæ præmium. Quandoquidem ille Virginem sine macula conceptam defendere voluit, illa suo clientelam & omnino gratam vicem proposuit, singularemque eius etiam dum in terra degentis, non modò vigilans sed etiam dormientis tutelam gessit, vel minimam à pravo cupidine turpitudinem, nedum maculam patere

maximè ex quo priùs semper, quàm dormitum iuerat, Angelicam illi salutationem perfoluisset, ad honorem Conceptionis eius immaculatæ. Sed illius verba potiùs, quæ literis mandata reliquit, in medium proferamus: *Circa castitatem*, inquit, *de die per Dei gratiam, & auxilium Beatissima Virginis, nullum sensi motum; noctu ter vel quater in somno; ac tum sentio me quasi ab aliquo excitari, ab eo tempore quo ante cubitum cæpi dicere Aue MARIA ad honorem immaculatæ Conceptionis Beatissima Virginis.*

Haftenus ipse Berchmannus. Et cum eò sanè conuenit, quod & P. Thomas Massucci (qui per id tempus confessionibus eius audiendis vacabat) testatus est,

Berchmannum neque per somnum turpibus viliis cogitationibus fuisse concitatum.